



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Archicancellariis Sacri Romani Imperii Ac Cancellariis Imperialis Avlae

Mallinckrodt, Bernhard von  
Monasteri[i] Westphaliae, 1640

Carolvs II. Cognom. Calvvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11835**

*Rinaldus.*

bus refert Lotharij diploma, ita subscriptum: Rinaldus Vicarius, ad vicem Hildevvini Archi-Cancellarij nostri recognouit & confirmauit, &c. an. 848. Hunc ego Vicarium, Vice-Cancellarium interpretor.

## LUDOVICVS II.

*Notingus  
Episcopus.*

Successit in Imperio Ludouicus 2 Lothario Patri, nouo exemplo è Palatio ad Monasterium liberâ sponte transeunti: apud quem quis togatorum Princeps fuerit, necdum eruere datum est. Reperio tantum Notingum Episcopum apud illum gratiosum fuisse: quem etiam legationi, sub initium regni ad patrum Ludouicum Germaniæ Regem missæ, Principem præfecit. *Annales Pirhœi & Freheri ad an. 858.* Suspicio hunc esse eius nominis Brixensem in Italiâ Episcopum, qui iam tunc sub patre Ludouici Lothario, vtriusque missu, ad Leonem 4, cum tribus alijs Legatis, iuerat Romam: vbi & regio nomine, anno 853, Concilio generali interfuit, narrante ex Actis, ab Antonio Augustino editis, Cardinale Baronio, *tomo Annal. 10.*

## CAROLVS II. COGNOM. CALVVS.

*Ingelvvini  
Episcopus  
Parisiensis.**Ludouicus  
Abbas S.  
Dionys.  
Ebbo Archi-  
Episcopus  
Rhemens.**Gauzelenus  
Episcopus  
Parisiensis.  
Adebaldus,  
Andeser,  
Odacer, A-  
daletorius.  
Heriuens,  
Rhemensis  
Archi-Ep.*

Morte Ludouici, sine liberis defuncti, ad Carolum Caluum patrum eius, rerum summa & Imperij apex delatus est: qui, cum iam triginta quinque annos in parte Galliarum regnasset, deinceps biennium, paucosque menses Imperium tenuit. Sub illo Ingelvvinus, Parisiensis Episcopus; Ludouicus, Abbas S. Dionysij; ac præterea, vt aliqui volunt, Ebbo, Archi-Episcopus Rhemensis, homo Germanus, & ad vltimum, post iniquiores fortunæ vices, Hildesheimensis in Saxonia Episcopus, Archi-Cancellarium tenuerunt: vt apud Lanouium aliosque videre est. Ad Imperium eius Gauzelenus, siue Goslinus, aut Goslenus, propriè pertinet; cuius nomine reperio an. 875, quo Ludouico nepoti succenturiatus est, & an. 877, quo obiit Carolus, literas Domini sui diuersos recognouisse. Videatur Miræus *lib. 1. Donat. c. 9. lib. 1. diplom. c. 14. & 16. in Notit. Eccl. c. 41. & 42.* è quibus, alijsque locis, constat, Gauzleni vice ab Adebaldo, Andesere, Odacro, Adaletorio (si tamen scriptio vbiq; mendis vacat) Notarijs subscriptas esse. Addatur prædictis Heriuens, Antistes Rhemensis, ab alijs præteritus; cuius memoria est in literis Calui, an. 863. datis, apud Miræum *in Notit. Eccl. cap. 37.* è quibus eadem operâ discimus, quid muneris Gauzlenus obierit, prius-



priusquam ad Archi-Cancellariatum sublimaretur. Sic igitur ibi: Gozelinus regiae dignitatis Notarius, ad vicem Heriuei Archi-Episcopi summiq̄ue Cancellarij. Porro Gauflenus, Abbas fuit SS. Germani & Dionysij; ac postmodum Parisiensis Episcopus. Obseruatum est Lanouio, ipsummet se Archi-Cancellarium subscripsisse, in Concilio Pontigonensi, apud Sirmondum in *Concilijs Gallicanis*, pag. 444, tom. 3.

Ludouicum Calui Filium, cui Balbi cognomen fuit, non, vt plerique prius voluerant, Imperatorem; sed Galliae tantummodo Regem fuisse, clarissime probat *ad tom. 3. Concil. Gall.* Iacobus Sirmondus, refertque ex illo *ad cap. 42. Not. Eccl.* Aubertus Miræus; eaque de causâ, utpote qui in Gallia, non verò Germanicis partibus regnârit, ad institutum nostrum non facit.

Ludouicus  
Balbus, Rex  
Gallia, Cal-  
ui filius.

## CAROLVS III CRASSVS.

**A**D Carolum igitur Crassum progredior: cui, si Serario credimus, *lib. 1. rer. Mogunt. c. 29*, Ludouicus Archi-Cancellarius fuit; ad cuius vicem Diploma Crassi, quo fundatio Collegiatae Ecclesiae S. Bartholomæi Francofurti continetur, an. 882 recognouit **V**Valdo \* Cancellarius. Dubitari enim possit, an non, quem reliqui Ludwardum vocant, idem sit cum Ludouico isto: de qua re certius iudicabit, qui ipsas literas inspiciet. Verùm magis, vt arbitrari fortè non nemo velit, vero accedere videri possit, Ludouicum istum corruptè scriptum esse loco Ludberti Moguntini Archi-Episcopi; quem eodem an. 882, Archi-Cancellarium fuisse, sequens subscriptio probat; quæ extat ap. Gevold. *de septem-viratu*, pag. 88, num. 11: **Arnolphus** Cancellarius ad vicem Luidberi (rectius Ludberti) Archi-Capellani recognoui & subscripsi. Dat. XV. Kal. Febr. an. Dom. Incarn. DCCCLXXXII. Indiæt. X. an. VI. Domini Ludouici Serenissimi Regis. Actum Francofurt. Palatio regio, in Dei nomine feliciter, Amen. Verùm hæc res adhuc ex eo incerta manet, quòd Ludouicus, Caroli Archi-Capellanus; Luitberus autem, siue Luitbertus, Ludouici Regis scribatur fuisse. Est autem iste Ludouicus (in sequentibus in ordine suo referetur) ille ipse, quem Iuni orem dixerunt; Ludouici senioris, Germaniae Regis, filius, Ludouici Pij nepos, Carolomani Regis, & Caroli Crassi Imp. frater: quem aliqui, vt reliquis minùs notum habentes, modò cum Ludouico Rege Calui filio; modò cum Ludouico Casare Arnulphi nato, confundunt. Tres illi fratres an. 876, paternam hereditatem inter se diuiserunt,

Ludouicus.

\*VValdo-  
nem hunc  
vide paulò  
pòst.

Ludbertus  
Archi-E-  
piscopus  
Mogunti-  
nus.